Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Hominis autem qui peccatores deus non audit: sed si quis
dei cultor est et voluntatem eius faciat hunc exaudit.
A seculo non est auditum: quia aperuit quis oculos ceci
natus. Nisi esset hic a deo non poterat facere quicquam. Respon
derunt et dixerunt ei: In peccatis natus es totus: et tu do
ces nos: Et eiecerunt eum foras. Audivit ihesus quia eiece
runt eum foras: et cum invenisset eum dixit ei: Tu cre
dis in filium dei: Respondit ille et dixit: Quis est domine
ut credam in eum: Et dixit ei ihesus: Et vidisti eum: qui
loquitur tecum ipse est: At ille ait: Credo domine. Et procidens adoravit eum. Sancti evangelii secundum Johannem.

Fia v̄ lectio

In diebus illis: Factum est verbum domini ad me dicens: Sta
in porta domus domini: et predica ibi verbum istud et dic: Audite verbum domini omnis iuda: qui ingredimini per portas
has ut adoretis dominum. Hec dicit dominus exercituum: deus
israhel: Bonas facite vias vestras: et studia vestra: et
habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis
mendacii dicentes: templum domini: templum domini: templum
domini est: quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra si feceritis iudicium inter virum et proximum eius advenam et pupillum et viduam non feceritis calumpniam: nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc: et post deos alienos non
ambulaveritis in malum vobis metipsis habitabo vobiscum in loco isto in terra quam dedi patribus vestris a sculo et usque in sculum dicit dominus omnipotens. Secundum Johannem.

In illo tempore dixerunt iudei: Pater meus usque modo
operatur: et ego operor. Propterea ergo magis querebant
eum iudei interficere: quia non solum solvebat sabbatum
sed et patrem suum dicebat deum: equalem se faciens